



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 76. Cardinalis Noailii querelæ apud summum Pontificem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.

§. LXXVI.

*Cardinalis Noaillii querelæ apud  
summum Pontificem.*

*Epist. Clem.  
XI. p. 1574.  
Lafiteau l. c.  
différend du  
Card. Noaill.  
avec quelq.  
Eveq. p. 230.*

Die vigesima octava Junii, moxque sequenti die Cardinalis Noaillius datis literis summum Pontificem de ejus Constitutione adversus Jansenianos edita, atque in comitiis a Clero Gallicano recepta certiore reddidit, significans, quod sicut communia omnium Præsulum obsequia lætus ac libens exhibeat, ita peculiari sua erga Papam sacramque Sedem observantia & obedientia ceteris omnibus non sociari solum, sed etiam antequam certetur. Tanti obsequii testificatione gavisus Pontifex, die decima quinta Augusti & biduo post eundem Cardinalem benedixit, & in literis honorabat, quibus sibi cumulata satisfactum declarabat, luculentis adeo significationibus de omni moda ejus, & Episcoporum, quorum comitiis præfuit, Apostolicæ Sedis exhibita obedientia erga Constitutionem, quam Pontifex adversus Jansenianum errorem dudum ediderat. Hæc Præsulorum sententia, aiebat Pontifex, consona est obsequiosis illis Majorum suorum sensibus, quibus editas a Patribus Prædecessoribus contra eundem Jansenium



senii errorem Apostolicas literas am- Sæc. XVIII.  
 plexi fuerant, quinimo eorum mens A. C. 1711.  
 nequaquam absimilis est illi, quam olim  
 veteres Gallicani Episcopi in suscipien-  
 da S. Leonis Magni definitione osten-  
 derunt &c. Pariter Pontifex a Noail-  
 lio edoctus, quod Rex ad extirpan-  
 dum Jansenismum in Gallia Regno  
 Pontificiam auctoritatem Regiæ pote-  
 statis præsidio communierit, lætabun-  
 dus & exultans die octava Augusti da-  
 tis literis eidem Regi amplissimas egit  
 grates. Minus vero acceptæ Pontifici  
 erant Noailii Cardinalis literæ, qui-  
 bus de Rupellensi & Lucionensi Episco-  
 pis questus, suam Epistolam Pastora-  
 lem, quam contra eos ediderat, Ro-  
 mam misit, quapropter nequidem re-  
 sponso a Pontifice honoratus est, ac  
 insuper non sine magno animi sui mæ-  
 rore intellexit, utriusque Episcopi in-  
 structionem a Papa amplissimis elogiis  
 celebratam fuisse. Anno tamen se-  
 quenti die tertia Septembris Pontifex  
 Cardinali rescripsit, quod tam ejus do-  
 cumentis, quam utriusque Episcopi  
 querelis mature pensatis, quid justum  
 fuerit, decreturus sit.